

EPISTOLA

QVA ORDO THEATRI CVRIAE ROMANAE EXPLICATVR

Vt virorum illustrium totius orbis terrarum
noticia habeatur :

*Quorum historia ibidem nunc scribuntur
Roma.*

A Doctore Marta Neapolitano in eadem Curia
Aduocato .



ROMÆ, Apud Iacobum Ruffinellum. M. D. LXXXIX.
PERMISSV SVPERIORVM.

THE JOURNAL

OF THE

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

*Illy ac Ce.^{no} Vno Dno Jacobo Gallo
Linaris lectori Vesputiano Neap.^{no}*



V L L A M arbitror commodiorem
viam, ac rationem excogitari posse, tra-
ctandi de legibus, quàm eam, quæ apud
priscos iurecōsultos in vsu erat. Li enim
rerum euentus, quò per eos fieri pote-
rat breuius, & elegantius exponebant;
qui passim leges nuncupantur. Quam
methodum, ac rationem si posteri secu-
ti fuissent, & Iustiniano Cæsari morem gessissent, edicto ve-
ranti, atque adeo prohibenti immensis, inuolutisque expla-
rationibus leges onerari, siue perturbari; nec à nobis hac
tempestate de Doctorum interpretatione ambigeretur, ne-
que tam ingens litium seges (in quibus iudices, & causidi-
ci incessanter desudant) passim suboriretur. Et sanè à recen-
tioribus modus, & forma quædam adinuenta mihi videtur
haud absimilis, decisionibus formandis in tribunalibus. Ve-
rum quoniam illas sæpe rationibus implicarunt, quæ aut mi-
nime legibus adhærent, aut inepto admodum arbitrio: pro-
pterea frequenter vsu venit, vt ex eis quædam repudientur,
& quarundam ratio perexigua habeatur. In animum igitur
induxi, ex eiusmodi decisionibus, quæ ex totius orbis tribu-
nalibus extant, decisos casus seligere, ac nouas compone-
re, & conglutinare leges, ijs persimiles, quas à veteribus iu-
ris prudentibus effectas accepimus. Qua in re hunc labo-
rem suscepi, vt duas assequer methodos, quibus dubium
non est, quin antiquiores à iunioribus superatos se esse sen-
tiant. Ex his alteram probandi rationem appellamus, qua
quindecim modis generalissimis, qui omnes legum materias
complectuntur, cum nouis propositionũ regulis, his tribus no-
is S. P. & I. significatis, geminas formamus argumentorũ fi-
guras, perfectorum nimirum, & imperfectorum, quibus par-
ticulare concludatur, quod iuriscōsulti est scopus: siquidem
vniuersum omnium sententia est, tres illas Aristotelis logices figuras,
vnic nostræ facultati nihil adiumenti asferre, quæ ad vniuer-

sales scientiis repertæ fuerè. Verùm, ego dubijs harum legum vocibus glossas, & explanationes adiungens, quæ probent, & concludant scientificè, ac euidentèr cum antiquis legibus, aut illarum rationibus, totum siue necessariam casus (vt vocant) decisi partem, appingam cuiuscunque decisionis auctorem, & locum, si ipsa facta fuerit. Has leges in tria distributa volumina, **DIGESTA NOVISSIMA** appellare libuit. Nec sanè ita sum impudens, vt eas Pontificia, seu Cæsarea fulciendas, & decorandas auctoritate, saltem me superstitè, aliquando sperem; cum plurimi studiosi, nullo subleuante Mœcenate, nulloque honestis laboribus proposito præmio, passim iaceant. Cæterùm magnæ mercedis loco numerabo, si meas vigilias, & lucubrationes, doctis viris, (tibi que in primis eruditissime) probari animaduertèrim: ex quorum necessaria comprobatione, post longâ subsequentium seculorum seriem. ea exorietur auctoritas, quâ in hoc postremo legum labore, qui quantû ab omnibus scribi posset, complectitur, optare, aut postulare auderem.

Alteram autem, reminiscendi methodum voco, qua loco rum vniuersalium, & particularium ope, & singularium personarum interuentu, atque regulis tam conceptuum, quam vocum, quilibet, qui his Nouissimis Digestis strenuam nauauerit operam, confestim recordetur, in promptuque habeat, atque doctissimè explicet, & expromat quicquid vnamquam euoluerit. Quoniam verò ad intelligèdum ordo plurimum prodest, idcirco Theatrum (quod Romanæ Curiaè appello) sum fabricatus, in quo iuxta ordinem suarum partiû, & personarum necessariò interuenientium, omnes prædictarum legum materias pertracto, illas (vt per me fieri potuit) ad breuiorem titulorum numerum redigens, genericis duntaxat vtens titulis, quos etiam naturæ ordine partior, vt materix oratio requirit, experimento edoctus, eò facilius scientias omneis animis hominum imprimi, quò ad particularia sensata distinctius reducuntur: quod M. Tullius in Oratore dixit, Cuius effigiem auribus quærimus. Hæ igitur nos personæ excitabunt, & ad viuum magis nobis exhibebunt eas cõceptiones, quas velimus: quinimmo hoc quartû volumen quod Theatrum voco, erit nobis loco indicis locupletissim

earū legū, quæ in tribus alijs digerentur, & collocabuntur :
 Utque huiusce quarti voluminis plenior, ac facilior habeatur cognitio, sciendum, Theatri istas nouem esse partes, Principem, Viros à consilijs, Defensores, Protectores, Consules, Oratores, Moderatores, Præfectos, Ordines Senatorium, & equestrem, quæ quidem digestos exhibent nostros modos, ad quos sanè tanquam ad primaria, præcipuaque capita rediguntur omnes tituli nouarum legum.

Prima igitur nostri Theatri pars, est Princeps; Pontifex videlicet Maximus, & hæc habet primum modum generalè, quæ **CONSTITVTIO** appellatur.

Secunda, Consiliarij sunt, nêpe S.R.E. Cardinales, quæ secundum habet modum, & vocatur **DIGNITAS**.

Tertia, Defensores, omnes. s. Christiani Principes, & constituit **IVRISDICTIO**.

Quarta, Protectores. i. Patriarchæ, & alterum habet, quæ **POSSESSIO** dicitur.

Quinta, Consules, nimirū Ep̄i, & habet **EXCEPTIO**.

Sexta, Oratores. s. Legationum, & cetera. **IVDICIVM**.

Septima, Moderatores, hoc est, Principis Silentarij, qui Romæ sunt Rotæ Auditores, siue xij. viri, & alibi Consiliarij, aut primarij iudices delegati à Principe, qui septimū constituunt modū, quæ **APPELLATIO** nominatur.

Octaua amplectitur Præfectos, hoc est præcipuas septem congregationes huius Curia, nempe Signaturā gratiæ, Cœtum sanctæ inquisitionis, Concilij, & Episcoporum, Camerā Apostolicam, Signaturam Iustitiæ, atque Cancellariā Apostolicam: quæ septem partes octauæ partis præcipuæ, septem modos constituunt, videlicet.

Congregatio	}	Signaturæ Gratia	}	SUCCESSIO
		Sanctæ Inquisitionis		RELIGIO
		Concilij		SV PPLITIVM
		Episcoporum		COLLATIO
		Camera Apostolica		MATRIMONIVM
		Signaturæ Iustitiæ		STIPVLATIO
		Cancellariæ Apostolicæ		ACTIO

Nona cõplectitur Ordines Senatorium, & Equestrem: Hi verò sunt nonnulli Illustres Orbis terrarum Viri, illis artibus excul-

exculti, & insignes, qui non alibi, sicut hoc loci cōcinnè collocari poterunt, habetque decimum quintum modum, qui est **ARBITRIVM**.

Cur verò hunc ordinem, ac seriem præ cæteris maxime probauerim, & fuerim sequutus, in eo quod propediè (Deo bene iuuante) in vulgus edetur opere, nostri consilij ratio apparebit, ne brevis epistolæ angustias excedam.

Constituuntur deinceps tituli harum nouarum legū hoc ordine aptissimè sub his xv. modis generalibus, nempè

Sub **CCONSTITVTIO**, agitur de Constitutionibus Principum, de Rescriptis, de Priuilegijs, ac Legitimationib.

Sub **DIGNITAS**, de omnibus officijs singularibus, & Dignitatibus.

Sub **IVRISDICTIO**, de iurisdictione omnium iudicum, de Acquirendo rerum dominio, de Seruitutibus, de Vsfufructu, de Iure patronatus.

Sub **POSSESSIO**, de Acquirenda, seu amittenda possessione, de eiusdè causis, & qua iudicū auctoritate possideri debeat, de Interdictis possessionū, & de Vfusucapionibus.

Sub **EXCEPTIO**, de omnibus exceptionibus, & præscriptionibus.

Sub **IVDICIVM**, de In ius vocando, de Libellis, & eorum exhibitione, de Iureiurando, de Litibus, & an litependente aliquid innouetur, de Foro competenti, de Probationum generibus, de Ferijs, de Arbitris, de Sententijs.

Sub **APPELLATIO**, naturæ ordine distinguemus omnes titulos appellationum.

Sub **SVCCÉSSIO**, de omnibus titulis Ciuilibus, & & Prætorijs vltimarum voluntatum.

Sub **RELIGIO**; agitur de Electione, de Hæreticis, Iudæis, & Apostatis.

Sub **SVPPPLITIVM**, de omnibus titulis singulariū priuatorum, & publicorum delictorum, de Iniurijs, de Accusationibus, de Quæstionibus, de Pœnis.

Sub **COLLATIO**, de Fæudis, de Emphiteusi, & Præbendarum concessione.

Sub **MATRIMONIVM**, de Nuptijs, & earum speticibus, de Affinitate, & consanguinitate, etiam spiritali, de Pa
ctis

ctis, & Iure dotium, de Fundo dotali, & Tori separatione.

Sub STIPVLATIO, de omnibus titulis spetierum contractuum, vt constituentur, ac dissoluantur.

Sub ACTIO, de omnibus Actionibus, Obligationib., & interdictis: de Restitutionibus minorum, & maiorum. Curatoribus, & eorum Auctoritate.

Sub ARBITRIUM, de omnibus materijs arbitrarijs legalibus, & de extrauagantibus Pontificum, & Cæsarum.

Iam verò in his nostri Theatri partibus collocantur non modò personæ, quæ in hac Curia versantur, veluti Pon. Max. S. R. E. Cardinales, Omnes Christiani Principes, Patriarchæ, Episcopi, Oratores, Auditores Rotæ, Referendarij, Prototonarij, & alij eiusdem Curix iudices, verum etiam omnes Illustres viri totius orbis, quorum hætenus ad nos peruenit, peruenturaque est notitia, quos in aliqua illarum partium (vbi commodius videbitur) statuemus. Et quamuis ex eorum situ, ac ordinis dispositione, aliquid de dignitatis inter ipsos præcedentia (vt ita dicam) colligi potest; iurato mihi tamen credi velim, in eam curam, cogitationeq. summo studio me incumbere, præsertim quæ de sua dignitate, præstatiã, & meritis detrahatur. Nec nostri est instituti, nec iudicij in cõtrouersia, atque disceptatione vocare, quis cui præferri debeat; præsertim cum ex locorù interuallo, regionùq. distantia, non plenè fortassis de ipsorù meritis, excellentiq. virtute certior factus fuerim. Porrò animo infedit nostro, illorù nomina, animi ornaméta, factaq. præclara nostris scriptis intexere, partim vt cù fato cesserint, nostro in Theatro spirent, ipsumq. viuum diutissimè seruent: nõ secus atq. Mercurius Trismegistus de perfectissimis, & absolutissimis sui tẽporis simulacris fabulatur, quæ longo post tẽpore, entheo animata spiritu vigebãt: partim etiã propter memoriã, vt diffuse in hac reminiscẽdi methodo ostendimus: cù super personarum qualitatibus, & conditionibus, facillè, seu conceptuũ, seu verborum imagines, vt magis placuerit, formetur. Qua in re (sermonis obscuritatem, Cabalistarumq. ambages, eorumq. Mæandros, qui Theatrũ fabricari conati, materias huius mundi mortalis supra septẽ sephiroth supercælestis, quem, cuiusmodi sit, ignoramus, retulerunt, de-

cli-

clinantes) orationis claritatē, perspicuitatemq. sequemur; atque Aristotelē imitati, materias supremas humanorū sensuū tenuitati attemperabimus, & indiuiduis hominibus aptabimus, ita vt conceptiones materiæ vnus tituli, qui continetur sub vna aliqua partiū nostri Theatri, accommodari poterunt, & ex illis formari imagines congruentes personis ibi collocatis; quæ tantò exactius effingi poterūt, quātò qualitates, & virtutes hominum fuerint notiores.

Sed quoniam in votis est, non solū alios nostris scriptis celebrare, verum etiam ex Illustrium virorum gloria aliquid lucis, & splendoris nostris lucubrationibus vicissim cōciliare, idcirco literis per omnes Christiani orbis partes missis ad aliquos doctos, & eruditos viros, & mihi aliqua necessitudine coniunctos, dominos, ac magistros meos (qualē te vnū existimaui Doctor sapientissime) quorū nominis fama, & celebritas quoquo versus peruagatur, ne grauentur de nomenclatura Illustriū omniū virorum me certiorē facere, qui in quauis facultate, & scientia, artiūq. cognitione emineant, aut aliquo inuento, propriæ industria excellant, aut proprijs actionibus, officijs, varijs exercitijs, rebus præclare gestis, victorijs, Principū amicitijs, publicis beneficijs, aut alijs rebus tā togæ, quàm belli tēpore gestis, clari existāt. Addita breui explicatione illorū generis & maiorum, quia in animo nobis est, eorū conscribere historiā veluti monumentum, seu elogium, vberius tamen, & ornatius quàm veteres consueuerint.

Postremo ne tibi sim molestus, id tātū singulari tua fretus humanitate abs te peto, vt me de ijs solū Illustribus viris doceas, quorū tecū cōmunis est patria, aut quos cōiucina tulerint loca; quod tibi factu nequaquā fuerit difficile, qui tot semper apud te studiosos habeas viros, quorū industria, & opera hac in re adiutus, aut cū illis ipsi hac mea petitione cōmunicata, velint (nisi forte ægreferint ab exigua fortis homine, qualis ego sum, celebrari) breuī me epistolio instruere, memores temporis decursu sæpe seram prætermisssorum poenitentiam subire. Vale. Romæ, Kal. Iulij. 1589.

D. V. I. ac Cex^{ma}

Seruus Desinatius

Doctor Matræ.